

30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

*VI-26.*

SIGNAT. ciōōCCCXIII.

Stückzettel erled.  
11. XII. 1949.



A. A. C. C.  
DISPUTATIO  
EXERCITATIONUM PHILO-  
SOPHICARUM XXXV,

De  
CAUSA VIRTUTUM  
MORALIUM EFFICIENTE.

Quam,  
Deo benigne annuente,  
SUB PRÆSIDIO

M. TOBIÆ TILEMANI

V Vitteb. Colleg. Philof. Adjuncti,  
Liberalis exercitij gratiã defendendam suscipiet,  
GEORGIUS MARTINI  
Vratislaviensis Sil.

In celeberrimã V Vittebergensi Academia,  
ad diem 30. Martij, horis & loco consuetis.

Salust. in Catil.

*Divitiarum & formæ gloria fluxa atq; fragilis est: Virtus clara  
& æternaq; habetur. C.*

VITTEBERGÆ,

Typis Iohannis Gormanni ANNO M. DC. XI.

*Viris spectatissimis,  
Clarissimo atque Excellentissimo*

**Dn. DANIEL SENNERTO**

Philosoph. & Med. D. ac Professori in Celeber-  
rima VVitteberg. Academia dignissimo:

*Humanissimo atque Præstantissimo*

**Dn. M. DANIELI HERMANNO,**

*Honestissimo atque Integerrimo,*

**Dn. JOANNI BAUDISIO** Reipubl. Pa-  
triæ civi Primario:

*Præceptori ac Patrono Fautoribusq; suis  
colendis. S.*

**I**ndignum, fateor, Viri celebres,  
Vestrâ est tam leve dignitate donum.  
Indignum tamen haut opinor illa,  
Magnis pro meritis bonæ atque gratæ  
Mentis Symbolon, id licet nec amplum  
Nec prælustre satis, (nimis supellex  
Quando curta negat sat ampla) ferre.  
Et nunc hæc igitur, Viri celebres,  
Acceptate, precor, bonæ atque gratæ  
Mentis symbola, nec putate vestrâ  
Indignum hoc leve dignitate donum.

*V. C. atq; H.*

*Additiss.*

**Georgius Martini  
Respondens.**

P R Æ L O Q V I U M.



**S**toicorum, qui virilem ingressi viam, Seneca lib. 2. In Sap. non cad. in. cap. 1. soli ex Philosophis vim virtutis tenuisse videntur Cic. lib. 9 Epist. ad Fam. Ep. 16. inter cetera & hoc receptissimum erat dogma, nihil expetendum præter Virtutem, nihil fugiendum præter vitium, Manut. Apopht. f. 582: Quod sanè in sensu suo sano à veritate tramite non aberrat, sed viua difficultatem à nemine non pro vero obtineri potest. Nam cum Homo tacito nature sensu suam ad perfectionem tendat, summèq; boni summè appetat fruitionem, Scal. Exerc. 102 Sect. 6, desiderio item feratur flagranti ad ea que pulchra, pretiosa & estimanda, que miranda, rara sunt & obvia: Certè quidem illum in totius vite sue transitu nil habere antiquius Virtutem præter, tam convenit, quàm quod maximè. Hæc enim unius quasi verbi notã, una via est ad verum finem, Scal. Exerc. 254. ac sola præstat gaudium perpetuum & securum, Sen. lib. 3. Epist. 27, hominemq; efficit dignum, qui in consortium Dei veniat, Idem in proem. Nat. 99, cum ipsi nihil de rebus nostris sit obarum præter virtutem, Plut. de audiend. Poet. Hæc nihil est formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius, Cicero lib. 9. Epist. ad Fam. 14, & lib. 1. de LL. Sen. lib. 9. Epist. 68. verumq; est omnium utilissima, Plut. in conu. septem sap. siquidem omnia in se habet, Plaut. A. 2 Amphit. sc. 2, ac que homines arant, navigant, ædificant, omnia ipsi parent, Salust. in Catil: Hæc in medio posita neminem dedignatur, qui modò se dignum illa iudicaverit, Sen in consol. ad Polyb. c. 11. adversusq; illam hoc possunt calamitates, quod adversus Solem nebula potest, Idem in Epist. 113, cum ego munere defuncti vivam. collocati in tenebris splendebant. Gc. Piccol. gr. 4. de Virt. mor. c. 11. Quod verò & benè & verè Socrates de Virtutis acquisitione dixit, ejus radicem amaram esse, fructum autem ferre suaviss. & ut Hesiodus lib. 1. Oper. Antè virtutem sudorem Dij posuere, ὄψαλα namq; τὰ καλά. & juxta Plutarchi scitum, τὸ καλὸν ὄψιτέστερον γίνεται: Idipsum omnino & de ejusdem cognitione per omnia affirmare habemus; Sic enim apud Platon. in Menone, fol. 12. Socrates gratissimè fatetur, de virtute disputare esse rem tractare graviss. nec se quid sit virtus. scire, nec ullum vidisse unquam, qui id docere valuerit. Gc. Que tamen difficultas maximam partem tolli posse videtur, si distinctim de causis virtutis moralis aliquid exquiratur veri ejusq; principia paulò exquisitius inquirentur: Quam ob causam & Nos inflammato omnino spiritu ad virtutis moralis considerationem accedentes, hæc saltem vice de origine, seu causa ejus efficiente solliciti erimus: Ut enim ruit ædificium si stabile non ponatur fundamentum, ita morum præcepta discutiantur in cassum, si Virtutis non perdiscatur principium.

T H E S I S I.

**C**AUSA virtutum Moralium efficiens & commodè & congruè hæc viâ investigatur: Notum enim est, manifestòq; ab Aristotele docetur, in lib. 2. Phys. c. 1. omnia, que in mundi hujus circumflexu per se sunt, vel à Naturâ, vel ab Homine seu voluntate humanâ parari; Quare & Virtus ab alterutro horum sit principio, necesse est. Iam verò illam à Naturâ nobis non inesse, hisce rationibus, firmis omnino & momentosis, dat demonstratum Philosophus, lib. 2. Ethic. Nic. c. 1.

M m 2 111. Quia

ERTO  
Celeber-  
mo:

ANNO,

publ. Pa

q; suis

L.

um

L.

i

5.

um

II. 1. Quia quæ à Natura nobis insunt, à assuetudine immutari possunt, utpotè gravitas in lapide, quæ lapis deorsum fertur, nullâ assuetudine unquam à quoquam corrigi potest, ut aliquando sarsum ferri incipiat, ut ut millies, nulliesq; iterum eum sarsum jaceas: Virtutes autem morales assuetudine mutari possunt, dum modo illis assuescimus, rursus modo desuescimus.

III. 2. In his rebus, quæ à Natura complexu sese diffundunt, potentia & facultas semper prior est actu ipso seu operatione; Sic enim antiquior nobis multò est facultas videndi, & instrumentum visus, quam actu videamus, nec quia crebro videmus, ideo videndi facultatem nobis comparamus, quin potè contrà, quia videndi facultatem nobis natura dedit, ideo etiã videmus.

IV. In virtutibus autem manifesto modo res habet se contrario, dum per crebras actiones justas habitum justitiæ nobis comparamus, haut secius ac in artibus fabricando fabri, & cytharam pulsando, cytharadi simus, lib. 9. Met. c. 9. ut sic prius edamus *ἔσθῃ*, post verò *ἔσθῃ* accipiamus.

V. 3. De rebus naturalibus, quæq; habere se secus nequeunt, non ferendæ sunt leges, nec à sapientibus unquam latae sunt: Sed de virtutibus in bene constitutis Rebus publ. omnibus, leges feruntur, quo pacto nimirum illis studeere debeant cives, inobedientesq; plectuntur, qui illas leges & decreta nefarie transgrediuntur. Ergo.

VI. 4. Naturalia non habent easdem causas efficientes & corrumpentes, cum natura semper agat uno eodemq; modo lib. 1. Phys. t. 4. & lib. 5. t. 1. Virtutum verò habitus ab eadem causâ & oriuntur & corrumpuntur, scil. ab actionibus, qualitate tantum differentibus; Illæ siquidem efficere possunt & virtuosum, si bonæ, & malitosum, si sunt malæ. Ergo.

VII. 5. Deniq; nemo hominum in lativago hoc mundo unquam repertus fuit, qui justus, liberalis, aut aliâ virtute præditus exstiterit, seu qui nunquam justè agens, habitum tamen justitiæ habuerit; Neq; artifex ullus in rerum naturâ inventus, qui non magistro aut exercitatione ad minimum usus fuerit: Relinquitur ergo virtutum moralium causam efficientem non naturam, sed hominem esse.

VIII. Iam verò quæ ad hominem referuntur tria potiss. sunt, *μὲν ἴσως*, *ἢ ἴσως* & *ἢ ἴσως*: Quæ enim ab eodem fiunt, vel per doctrinam & præceptionem, vel per morem & assuetudinem, vel deniq; fiunt per usum. Inter hæc medium, proprium & proximum est efficiens Virtutis, ut primum maximum

rimè virtutum intellectualium, ultimum autem utramque custos est, est  
& conservatrix.

**IX.** Interim negare nolumus, tum naturam quoque & doctrinam, ad quam  
non incommode educatio etiam referri potest, ad virtutem moralem requi-  
ritur causas adjuvantes seu preparantes voluntatem nostram ad habitus vir-  
tutum acquirendos, ut id etiam patet ex Philof. in lib. 10. Eth. Nic. c. ult. & l.  
7. Polit. c. 13; Tum Deum maxime, qui ut rerum omnium, sic & virtutum  
causa est prima & remota, ut id quoque non dissimulat Philof. in lib. 1. Eth.  
Nic. c. 9. & lib. 10. c. 8. lib. 7. Eud. c. 18.

**X.** Proxima autem earundem causa, ut dictum, sunt Mores, per quos hic  
non ipsos internos habitus, vel animi dispositiones motuive intelligimus, de  
quibus vulgo dicitur, quod mores sequantur temperamenta: Sed actiones  
externas illarumque spontaneas, & crebras, & mediocritatis vinculo constrictas,  
queque ejusdem speciei omnino sunt cum his, qua post non à voluntate pri-  
mo, at à virtutum habitu promanant, lib. 2. Eth. Nic. c. 2.

**XI.** Quae omnia ut clarius etiamnum pateant, non tam lubet, quam  
necesse est fusius nonnihil & accuratius quid de Actionibus humanis, juxta  
ductum Aristotelis in lib. 3. Eth. c. 1. & seq. ac quantum hunc presentem  
spectant locum, hic dicere, maxime cum harum cognitio ad insequentium  
etiam commodiorem perfectioremve noticiam modis bene multis faciat.

**XII.** Sunt autem illae in triplici potiss. discrimine, aliae spontaneae, aliae in-  
vite, aliae mixtae: Spontanea est, cujus principium in ipso est agente, & qui-  
dem praecipuas actionis illius circumstantias sciente, lib. 3. Eth. Nic. c. 1. Hinc  
ad illas actiones communiter tria requiruntur: 1. Voluntas, quae est appeti-  
tio boni veri vel apparentis cum ratione, Ibid. c. 4.

**XIII.** Nam objectum ipsius est bonum tam verum, quam apparens, cum vi-  
ri boni voluntas versetur circa ea, quae rei sunt in veritate bona, nil siqui-  
dem nisi bonum & rectum cupiscit, improborum vero & vitiosorum occu-  
pata etiam teneatur circa bona fucata & fortuita, seu quae talia viden-  
tur: Ex unoquoque enim habitu propria sibi quaeque honesta & jucunda fingit.  
Ibid. c. 5.

**XIV.** Norma vero Voluntatis, quae nisi illa ac regi debet, est recta ratio,  
quae quasi quibusdam septis circumscribere & cohibere animum in magnis  
rerum procellis debet, ne ab affectibus auferatur: Unde etiam Voluntas in  
civilibus seu externis actionibus arbitrium agendi & non agendi liberrime  
obtinet, & potest tam velle, quam nolle.

XV. Quorum enim principia & causa sunt in nobis ipsis, eâ in nostrâ potestate esse oportet: Atqui causa actionum bonarum & malarum sunt in nobis; Nos enim volumus, nos de illis deliberamus, nos eas eligimus: Ergo bene & malè agere est in nostrâ potestate, & dependentur ex lege conjugatorum, virtutes etiam & vitia, item bonum vel malum esse, in nobis situm est.

XVI. 2. Principium actionum Spontanearum, est Consultatio seu deliberatio, quæ est diligens inquisitio mediolorum, per quæ in agendo ad finem pervenire posse videtur, lib. 3. Eth. Nic. c. 3. Objectum ejus non sunt res quavis, sive res æternæ, naturales aut fortuitæ, sed tantum humana quæ sunt τὰ πρῶτα, nobis possibiles, non aliena sed propria, & aliquomodo incerta & indeterminata; De reliquis enim nemo Sapiens deliberat.

XVII. Modum deinde deliberationis quod attinet, de eo sequentia axiomata notentur: 1. In initio deliberationis habeas certum aliquem finem tibi propositum, ad quem tanquam ad scopum præfixum consilia tua dirigas, cum non de fine, sed de pertinentibus ad eum consultemus. 2. Ad deliberationem de rebus gravibus alios etiam asciscas, qui scilicet sunt viri boni, prudentes, & senes cum primis.

XVIII. 3. In ipsâ consultatione ad duo potissimum respicias: 1. per quæ media finem propositum assequi valeas, unonè an pluribus, siquæ sunt plura, vide quodnam illorum sit facillimum seu honestissimum. 2. Adverte modum, quo illis medijs uti possis, attende item an solus actionem propositam efficere possis, an vero auxilio aliorum opus habeas, pensata etiam instrumenta ad actionem suscipiendam necessaria, &c.

XIX. 4. Probè etiam & diutino temporis spatio singula horum perpende, deliberandum enim diu est, quod faciendum semel. 5. In fine deliberationis vide, qualia jam habeas media, indequæ certi aliquid de actione ipsâ constituas: Quod si enim actionis ejus media in tuâ sunt potestate, insimulquæ licita, manus actutum operi accinge, occasionemquæ preme; Sin contrâ satius est omninò à proposito discedere, quàm id ipsum aggredi.

XX. III. Et ultimum actionum spontanearum, & quidem deliberatarum, principium est Electio seu προαιρεσις, quæ est præmeditata appetitio eorum, quæ in nostrâ sunt potestate, lib. 3. Eth. Nic. c. 3. & lib. 6. c. 2. Cujus definitionis posteriora verba objectum Electionis indicant, quod idem est cum objecto deliberationis; Reliqua genus & formam exprimunt, quibus ab alijs generibus omnibus discriminatur.

XXI. Differt enim à spontaneo ut Augustinus à latiore, idquæ 1. quia Electio



Actio tribuitur tantum adultis, qui iudicio & ratione plenarie utuntur, cum semper cum discursu conjuncta sit; Spontaneum vero non his solum, sed & pueris, imo & bestiis quandoque, tribuitur. 2. Quia actiones repentine & temerariae, quae absque deliberatione fiunt, sponte quidem suscipiuntur, at non cum Electione.

XXII. Differt deinde à Voluntate: Hec enim 1. finem respicit, Electio, ut & deliberatio, ad finem ordinata. 2. Illa est etiam impossibile, haec tantum possibile: 3. Illa est etiam ad alios, haec solum ea, quae ad nos pertinent, respicit. 4. Illa solum mentis iudicium, haec ulteriorem discursum, per quem unum alteri praesertur, exposcit.

XXIII. Demum differt à consultatione: 1. Qualitate, quod deliberamus de incertis, eligimus autem ea, quae ex deliberatione nobis facta certa sunt. 2. Tempore, quod consultatio prior est electione. 3. Sedibus & causa efficiente, dum deliberatio à sola mente perficitur, ad electionem vero etiam appetitus quidam accedit, lib. 3. Eth. Nic. c. 5. Hec de actione spontanea.

XXIV. Porro actio invita est, cujus principium aliunde provenit, lib. 3. Eth. Nic. c. 1. Estque duplex, vel violenta, vel imprudens; Illa est, cujus principium existit extra agentem, ita ut is qui agit aut patitur, nihil plane ad iumentum ad eam conferat. Ut igitur actio verè sit violenta, tria maxime requiruntur, quorum unum si desit, actio ea non simpliciter & verè violenta erit.

XXV. 1. Ut principium quod movet sit extra agentem: Quia interna principia, ut sunt natura, appetitus, & mens, non dicuntur movere violenter. 2. Ut principium illud, quod motum affert, ita validum sit, ut possit per se motum perficere. 3. Ut is, qui movetur, seu agens patiens, plane nihil ad iumentum afferat ad illum motum.

XXVI. Actio invita imprudens est, cum quis non solum ignorans, sed & ex ignorantia eaque particulari seu circumstantiarum agit, ita tamen ut eum facti illius post poeniteat: Ad quam definitionem intelligendam tres distinctiones sequentes notentur. 1. Differunt haec duo, agere ignoranter, seu si quis ignorans agat, & agere per ignorantiam, vel ex ignorantia.

XXVII. Ignorans agit, qui in actione quidem nescit quid agat, ea tamen ignorantia non est causa facti illius, seu aliud quid, quo agens sibi ignorantiam accersivit, ut cum quis per ebrietatem, &c. nescit quid agat: Per ignorantiam vero tunc agere dicimur, cum non solum actionem, sed ejus etiam actionis causam ignoramus, ut cum Noah ignorans vim vini inebriatur. &c.

XXVIII. 2. Distinguendum est inter ignorantiam universalem seu juris, quando

quando ea ignoramus, qua in qualibet actione iure debebamini & poteramus scire, qualia sunt, honestas alicujus actionis in genere, & finis ejusdem, ac inter ignorantiam particularem, quando circumstantias actionum ignoramus, vel quando ea nescimus, qua ad finem pertinent.

XXIX. 3. Ignorantia alia est poenitens, qua subsequentem habet dolorem & poenitentiam ob admissum factum: Alia est sine poenitentia, quando a facto, per ignorantiam admissio non dolemus, nec ejus nos poenitet. Illa excusationem meretur, haec minime; sicut & venia digna est actio invita & qua per ignorantiam admittitur, ejusq; causa nemo iure accusari aut culpari potest. Haec tenus etiam de actione invita.

XXX. Ad extremum Mixta actio est, cujus principium cum in nostra potestate sit, & res per se mala videatur, ideoq; nec eligenda, respectu tamen circumstantiarum bona & eligenda censetur: Inde actio haec partim est violenta, qua in se consideratur, siquidem talem nemo eligeret, nisi externa vis seu necessitas impelleret; Partim voluntaria, respectu scilicet finis & temporis, aliarumq; circumstantiarum.

XXXI. Et meretur haec actio mixta vel laudem, cum propter honestatem aut majus aliquod commodum adversi quid, aut etiam quod cum decore pugnet, in nos suscipimus: Vel veniam & excusationem, cum ad devitandum periculum magnum parumper peccamus, atq; recedimus justo, idq; gravissimis de causis: vel reprehensionem, cum ad devitandum exiguum incommodum in honestatem delinquimus: vel deniq; & poenam, cum scelus aliquod enorme perpetramus metu periculi alicujus, seu magni seu parvi. Est tantum de hisce.

#### A D J E C T A N E A.

1. Virtutes Ethnicorum non simpliciter suere peccata. 2. Neq; tamen perfectitudinis tanta, ut illis salutem pro mereri potuerint. 3. Habitus virtutis ab actionibus non tam externis gignitur, quam internis. 4. Vitium nunquam virtutis causa esse potest. 5. Et virtus laudatur propter actiones, & haec propter illam. 6. Actionum differentia a particulari sunt causa, scilicet a voluntate. 7. Actiones ob iram, voluptatem &c. susceptae, minime sunt invitae. 8. Et haec non concito bona sunt, licet illarum finis seu intentio bona. 9. Voluntas non potest cogi respectu actus a se proximè elicitum. 10. Dari potest actus malus in voluntate, sine ignorantia in Intellectu, &c.

F I N I S

Umg. VI 26

= [Dissertationes  
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17





M. C. C.  
PUTATIO  
IONUM PHILO.  
CARUM XXXV,

De  
VIRTUTUM  
M EFFICIENTE.


Quam,  
igne annuente,  
PRÆSIDIO

E T I L E M A N I

leg. Philos. Adjuncti,  
gratiâ defendendam suscipiet,  
I S M A R T I N I  
islaviensis Sil.

Vittebergensi Academia,  
rij, horis & loco consuetis.  
st. in Cacil.  
oria fluxa atq; fragilis est: Virtus clara  
naq; habetur. Uo.

TTTEBERGÆ,  
rmanni ANNO M. DC. XI.



Farbkarte #13

B.I.G.

